

providentia, vt a Serenissimo Mecklenburgensium Duce, GVSTAVO ADOLPHO, Litteratorum Principum quondam Phoenice, ad ea, qua ad extrema vsque sustinuit, officia vocaretur. Qua vero de re alibi, cum terministica controuersia agigaretur, peculiari capite luculentius commentatus est ipse. Diuinum igitur nutum cum firmiter apud animum suum sequi constituisset, si Marchio non reluctaretur, deliberato inter Mecklenburgensem et Badensem Principes consilio, tandem ab hoc, sed non nisi aegerime et sub conditione, vt restituta imperio pace rediret, dimittebatur. Et factum quidem postea est, cum per Rysuicensem tractationem bellum solueretur, vt Serenissimus Marchio reditum vrgeret, sed, nostro aetatem et grauem paulatim corporis, ad tantum denuo iter sustinendum haud suffecturi, constitutionem obuertente, tandem acquieuit, retenta tamen ipsi a Serenissimis Marchionibus, FRIDERICO MAGNO, et hodie felicissime regnante Principe, CAROLO GVILIELMO, Filio, constanter Consilarii Ecclesiastici, insigni certe clementissimae in eundem voluntatis et affectus testimonio, dignitate. Quemadmodum et ad beatum vsque ex hac vita excessum creberrimis Serenissimarum vtriusque sexus personarum litteris, quod in maxima felicitatis parte posuit, longe benignissimis, recreatus est et honoratus. Itaque anno c l o l o c x c. iter carissimum sibi postea Rostochium versus ingressus, contracta vbique locorum, quibus transierat, cum eruditis amicitia et familiaritate, quam deinde, adiectis ceteris et exteris quoque, instituto crebro per epistolas commercio, studiose admodum coluit et sustentauit, adulta iam aestate in culum cum familia

lia